



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX**

S. Crucis inuentionis festo, require in festo, exaltationis eiusdem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

homines incompósitos ac improbos fugiamus, familiaritatem quorumlibet immodicam declinemus, sensibus semper inuigilemus, neque temporis, neque verborum plus satis cuiquam impendamus, nosipfos vbiq̄ & semper studiosè obseruemus, sub Deo cunctisq̄ mortalibus nosipfos comprimere ac demittere discamus, de cunctis fratribus ac proximis non nisi bene loquamur, nosipfos habeamus despectui, Deo iucundis animis seruiamus, proximis bona præbeamus exempla, peccata omnia & magna & parua vitemus, Deum in omnibus pro scopo habeamus, atque totum tempus cum Deo transigamus. Hisce studijs dignè & aptè efficiemur, qui faciem Patris nostri videamus in cælis, cui est omnis honor in secula seculorum, Amen.

DE FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS  
require infra in festo Exaltationis eiusdem.

IN SOLENNITATE ASCENSIONIS DOMINI  
nostri Iesu Christi, Lectio Actuum Apostolorum.  
Cap. I.

**R**imum quidem sermonem feci de omnibus, d̄ Theophile, que cepit Iesus facere, & docere, vsque in diem qua præcipiens Apostolis, per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est. Quibus & præbuit viuum post passionem suam, in multis argumentis per dies quadraginta apprensus eis, & loquens de regno Dei. Et conuescens, præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent: sed expectarent promissionem Patris: quam audistis, inquit, per os meum. Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, que Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem superuentis Spiritus sancti in vos: & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad ultimum terra. Et quum hac dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumq̄ intuerentur in caelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in caelum? Hic Iesus qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.

PARAPHRASIS IN EANDEM LECTIONEM.

**A**scensionem Domini Saluatoris Lucas Euangelista graphicè describit, Luca 24 connectens videlicet historiam Actuum Apostolorum cum Euangelio suo, in cuius calce iam nonnihil eadem de re posuerat: sed in Actis diligentius prosequitur. Ait enim: Primum quidem sermonem, nempe in Evangelio meo, feci de omnibus, id est, præcipuis quibusdam, vel saltem

yy mul-